
CODICES LITURGICI.

788 ——— 959.

DCCLXXXVIII.

- ⁴¹⁴ **C**odex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 38. 4. eleganter exaratus, rubricisque distinctus praemisso Capp. LXIII. Elencho inscribitur: *Incipit Micrologus de ecclesiasticis observationibus. In primis de officio missae. C. I. rubrica: De introitu ad missam. Initium: Presbiter cum se parat ad missam. iuxta romanam consuetudinem decantat psalmos &c. Finis totius Operis: ut iuxta euangelium eiusdem diei de V. panibus cum quinque milibus hominum saturari mereamur. Edidit illud integrum sub Micrologi titulo primus Jac. Pamelius Antwerp. 1560. 8. Ex eo Melch. Hittorpius in suam Ecclesiast. Officior. Συλλογην recepit Colon. 1568. f. Alias Editt. vide Fabric. Bibl. med. Lat. L. XII. p. 78. Circa Autorem in varias abiere sententias Eruditi; dum Codd. mss. indicio quidam Rabanum, alii Joannem quendam Ep. Bernoldum Presb. Constantiensem, Bernonem Augiens. Guidonem Aretinum nominarent, donec Henr. Whartonus proferret vetustum Biblioth. Lambethanae Exemplar Ivonis Ep. Carnotensis nomine insignitum, in quem operis κεντηρία magis conspirant, quam in quemvis alterum; nam et Galium fuisse Autorem citatus c. 11. Ordo Gallicanus manifestum facit, et cum Gregorio VII. Pont. Rom. egisse verba illa c. 14. Sicut nos ipsi per ipsum et per Episcopos, qui eum imitati sunt, accepimus &c. declarant; et Opus jam defuncto Gregorio suscepisse inde patet, quod hunc eod. loco reuerendae memoriae Papam adpellet, quo*

quorum nihil *Ivoni* repugnat, qui anno demum 1115. e vivis abiit. *Adi Wbartoni Auctarium in Jac. Ufferii Hist. dogm. Controv. de Scripturis et Sacris vernac. Lond. 1690. p. 359. et 395. ubi leges, in Cod. Lambeth. praecedere VIII. Capita de Chori Officiis, quae lucem haecenus non adspexere, deesse praeterea in Editis C. ultimum Micrologi, quo de Missae singularumque ejus partium Autoribus agitur. Atqui et istud C. et VIII. illa praecedentia a nostro quoque Cod. absunt. Quanquam suspicer C. ultimum ab alio aliquo temere adfuturum, cum jam per operis decursum passim Auctores partium Missae commemorentur. Probae ceterum lectionis est Noster, maloque cum illo c. 2. Deo dicatae, quam dicati. C. 4. dicere deberemus, quam debemus &c.*

DCCLXXXIX.

550 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 162. 4. nitide scriptus, rubricisque distinctus complectitur sequentia: I. praemisso Capp. LXIV. indiculo, *Incipit micrologus de ecclesiasticis observationibus, in primis de officio missae.* Absunt igitur VIII. illa de Officio Chori Capita, quae in *Cod. Lambeth.* praevia se reperisse testatur *Henr. Wbartonus*, ut diximus ad *Cod. praeced.* Indiculus Capp. ad verbum cum eo conspirat, qui in *Melch. Hittorpii Collect. Liturgica, Colon. 1568. p. 436. f.* legitur. Initium Textus

est: *Presbiter cum se parat ad missam iuxta romanam consuetudinem &c. C. 2. habetur: deo dicatę pro dicati. C. 3. collectam populi multitudinem pro collectam populi. C. 4. dicere deberemus pro debemus, et aliquam traditionem pro rationem &c. quae dignum probant, ut totus cum Editis conferatur. At vero pretium ei ex fine adcrefcit; dum enim Jac. Faber Parisiis 1510. et Job. Cochlaeus Mogunt. 1549. XXII. duntaxat Micrologi Capita ederent, Jac. autem Pamelius Antwerp. 1560. ea ad numerum LXII. augeret, Codex noster duo saltem superaddit nec in Cod. Lambethano contenta Capita, quorum Summaria ex Indiculo supracit. adscribo: LXIII. Quot dominicę dominico aduentui sint ascribendę. LXVIII. Quot ebdomadę dominico aduentui deputentur. Caput prius incipit: *Sunt quidam qui primam dominicam de aduentu domini adeo aliquando anticipant. ut predictam preparationis dominicam non quintam sed sextam ante natalem domini ponant &c. Alterum: Legitur etiam a sanctis patribus mystica auctoritate sancitum ut aduentus domini non nisi trium ebdomadaram completionem celebretur. &c. Addit tamen quartam partim attingendam, idque auctoritate Gelasii, Gregorii, Hilarii et Hieronymi utroque Capite stabilit. Fateor, dum lectionem ingrederer, venisse mihi in mentem Bernonis Abb. Augiens. cujus in hoc argumento Epistolam ad Aribonem Archiep. Mogunt. vulgaverat Cl. Pezius Tbes.**